



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Adulterio & stupro. Consilium DLXXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

pulus magnus subesse videtur; ob id, quod in flagranti crimine D. Lambertus deprehensus non sit, nec statim post illatum stuprum; sed quod post aliquot dies Cornelia de illo demum suæ avig aliisque amicis conquesta fuerit, & quod confessioni dictæ Corneliæ tamquam læsæ & principalis in eâ re partis, credi non debeat, l. *Si quis in gravi* §. 1. *Ad S. C. Sullan.* & quod eandem confessionem puellæ aliqua ratione improbabilem facere videatur depositio famuli D. Lamberti: qui dicit se solum cum solâ vidisse in angulo horti, & audisse inter se mustitantes: quod ad simplex stuprum probandum aliquo modo sufficere posset; non etiam ad vim, quam puella clamando à se avertere potuisset aut saltem testari se invitam ad angulum compulsam, & per D. Lambertum oppugnatam. Neque maior probabilitas confici potest ex depositione concubinæ D. Lamberti: nam quod illa dicitur dixisse extrajudicialiter, tendit tantum ad simplex stuprum, non ad vim. Ita quod omnibus expensis maior permaneat difficultas in facto, quam in iure. Nihilominus magna ex his testimonijs, & ex conditione, atque antea factâ vitâ dictæ Corneliæ, rei hic actæ extant indicia; quæ bonum & discretum Iudicem movere possunt ad torturam D. Lamberto inferendam pro veritatis indagine: præsertim si Reus post præcedentem ac constantem negationem illati stupri, etiam simpliciter postea carnale commercium cum puellâ iam ex eo imprægnata confiteatur. Variatio enim & mendacium, magnam præsumptionem adferre solent; potissimum si demonstrari possit recedens ejusdem D. Lamberti vitæ lubricæ & ad inferendum stuprum consuetudo, aut p. pensio. Ita ut tandem in eo resideamus, difficultatem esse in probatione violentiæ; illiusque nullam extare probationem directam, sed tantum argumenta & indicia: sic ut si quis ex violento stupro obtinere vix poterit (nam de simplici nihil dubitamus) ac proinde consultum sit puellæ, ut pro suo honore potius prædictam dotis assignationem petat, quam ex sua parte D. Lambertum ad aliam penam multum premat.

De Adulterio & stupro.

S V M M A R I U M .

Dotis amissio propter adulterium.

1. 4. Dos propter adulterium uxoris amittitur.
2. Doti videntur omnia data nulla speciali dote constituta.
3. Parapherna an propter adulterium amittantur.
5. Adulterij exceptio datur marito & eius heredibus in repetitione dotis.
6. Adultera in monasterium detrusa quæ sit hæres.
7. Consecratio bonis postea acquisita ad ipsum non pertinet.

CONSILIUM DLXXXIV.

CASVS, qui proponitur de vxore nobili, quæ ex legitimâ causâ absente marito suo etiam nobili, adulterium commisit, & ex adulterio prolem peperit, ideoque ad Monasterium translata est, cujus maritus morte animi inde concepto extabuit, & paulo post mortuus est; condito tamen testamento, in quo de omnibus uxoris suæ bonis tamquam ad ipsum pertinentibus, propter dictum adulterium, dis-

posuit; imperfectam facti narrationem continet: ob id, quod non proponatur de conditione bonorum, an illa dotalia, hoc est in dotem expressè marito data & assignata fuerint, & an omnia talia fuerint, an verò sine dotis constitutione seu conventionē, matrimonium inter dictos conjuges contractum fuerit; & denique quomodo & cujus auctoritate eadem uxor in monasterium sit translata. Plurimum enim refert utrum dicatur, & quæ ex his in facti contingentia vera sint.

Interim ad proposita respondendo dicimus, indubitatum esse propter uxoris adulterium, dotem amitti, & mariti lucro illam adjici, l. *Consensu* C. *De repud. c. plerumque* de donat. inter vir. & uxorem. concurrentibus his, quæ sequuntur. Primum, si dos marito assignata est: assignatam autem censeri communior Doctorum opinio habet, *Bart. in disput. in c. pen. Quadam mulier habens magnum patrimonium, Decius in Auth. prætere* nu. 6. *C. Unde vir & uxor. Alex. cons. 144. circa primum vol. 5. & cons. 142. Viso statuto vol. 7. si uxor le & sua simpliciter marito tradidit: hoc enim casu omnia sua bona in dotē tradidisse præsumitur.* * Ut nunc ferè generali consuetudine obtinet, quociescumque dotis specialis non est facta conventio, ut marito permittatur bonorum uxoris generalis administratio, *salicet. in l. fin. De repud. Alex. d. cons. 142. nu. 2.* * In quæ re quoad articulum propositum bona amittendi minor est dubitatio: ob id, quod communis opinionē receptum sit, etiam paraphernalia bona uxoris ex ea causa amitti, & marito acquiri, *d. c. plerumque & ibi gloss. De donat. inter vir. & uxorem Nic. Boerius decis. 338. nu. 3. Lud. Rom. singul. 313.* quod tamen admodum controversum est, *Decius in c. pastorali nu. 7. De iudic.* * Secundo, si maritus uxorem de adulterio in vitâ accusaverit, & illa iudicio Ecclesiæ ab illo per Iudicem ecclesiasticum separata sit: nam sunt qui existimant separationē hac sine Iudice, aut per Iudicē laicū factâ, bona uxoris non committi nec marito acquiri, *Panor. in d. c. Plerumque in princ. & in c. fin. De adult. & ibi Ioan. de Anania nu. 13.* Sed communiter receptum est, sufficere, quod adulterium notorium fuerit, & maritus etiam propria auctoritate uxorem à se repulerit, nec ei post cognitum adulterium adhæserit, aut in domum suam receperit: multo magis si propria voluntate uxor à marito recessit, & ad monasterium se transtulit, aut per suos parentes, aut cognatos illic detrusa sit. * His enim concurrentibus non tantum marito, quod nullam habet dubitationem, *Panor. in d. c. Plerumque & in d. c. fin. Covar. in epit. 4. Decretal. partis 2. §. 5. nu. 13.* sed etiam heredibus mariti datur exceptio adulterij contra uxorem bona sua repetentem, *Alex. & alij in l. Rei indicata Solutio matrim. Ioan. de Imola in l. Cum mulier, eod. tit. Si igitur hoc adulterium fuit notorium ac manifestum, & maritus ob id uxorem expulit; vel si ad maritum conscientia proprii sceleris reverti aulâ non fuit; & sic vel propria voluntate, vel cogentibus propinquis, ad monasterium secessit, certum est mariti lucro cedere ejusdem uxoris bona, illiusque de ijs factas donationes ac ultimam dispositionem valere.*

Sed tam latè non patet hæc commissi & acquisitionis potestas, ut alia contineantur, quam quæ
uxor

uxor tempore commissi adulterii habuit, & in administratione mariti fuerunt: non enim efficitur maritus hæres uxoris per hunc casum, sed hæres uxoris efficitur monasterium, in quod adultera liberis aut parentibus carens detruitur, *Auth. Sed hodie C. Ad leg. Tuliam de adult. Papon Arrest. lib. 22. tit. 9. De adulteris*; ad quod huiusmodi bona, quæ marito non acquiritur, iure dotis vel paraphernorum deferuntur. Verum quidem est hodie ex constitutionibus novis huius ditionis Belgicæ monasteria jus succedendi non habere, & sic matrem dictæ uxoris ex iure communi, *d. Auth. Sed hodie, eâque & liberis deficientibus*, proximos cognatos potiores esse marito, qui generaliter non sit hæres, nisi cognatis deficientibus, *l. 1. C. Unde vir & uxor* certum nihilominus est mariti jus non extendi nisi ad bona præsentia, non etiam futura; quia non tantum per mortem conjugis, sed etiam per adulterium, ac inde factâ separationem, iura matrimonii resolvuntur & abrumuntur, imò etiam ipsum matrimonium, ac ipsius vinculum, *c. Ex litteris De divorc. sic* quod futuri temporis tractus ad illum non pertineat; quanvis detrusâ in monasterium adulterâ, illius consideratio non possit haberi secundum terminos juris communis, quibus incapax facta est nisi ad emolumentum monasterii: ita quod hæc quaestio non posset habere locum, nisi nullâ professione factâ, per indulgentiâ Principis restitueretur: sed tunc sibi & suis, non mariti hæredibus, habebit postea delata vel acquisita bona.

7 Quod autem quaeritur de bonis sororis uterinæ dictæ adulteræ, an illa quoque sub hoc commissio, & mariti lucro comprehendatur, facti habet quaestionem; an scilicet aliquid juris in iis adulteræ soror habuerit? Nam quod ad bona, quæ huic uterinæ sorori delata fuerunt ex parte patris sui, certum est ex consuetudine nihil ad sororem adulteram venisse, cum ex consuetudine nunc passim receptum sit, ut bona immobilia revertantur ad lineam, à quâ provenerunt; & sic dictæ uterinæ sororis paterna bona ad proximos ex latere & sanguine patris pervenire & redire debuerunt, ad quæ idcirco hæredes mariti oculos conijcere non debent. Quoad autem bona materna, cum matrem adhuc habeat superstitem, nulla potest esse successionis consideratio; quia superstitis & viventis nulla est hæreditas, nemo hæres, *l. Qui superstitis De acquir. hered.* Et quamvis ex obitine consuetudine, soluto matrimonio, etiam superstitis bona afficiantur liberis, sic ut superstes alienandi illorum potestatem non habeat, sed tantum velut usufructum: hoc tamen in usu ejusdem consuetudinis observatur, quod liberi de huiusmodi affectis bonis, nullam habeant dispositionem, nullam alienandi facultatem, quam diu parens novissimè superstes adhuc vivit. Vnde consequitur, quod soror uterina non potuerit huiusmodi bona ad sororem adulteram transferre; non magis quam futuram quamcumque nondum delatam successionem. Ut nec bonis damnati in metallum confiscatis, ad fiscum pertinent postea delatæ hæreditates vel legatæ; quia horum incapax est sic damnatus, *l. In metallum De iure jssu, l. si in metallum De his quæ pro non script.*

Relaxato igitur vinculo, quod per dissolutionem matrimonii, propter suos liberos, matri ad conservandum sic bona liberis iisdem, in *l. Fæmina C. de secun. nupr.* injectum fuerat; sublata quoque monasteriis per dictas novas constitutiones facultate succedendi, dubium non est, quin eadem mater de iisdem bonis pro suo arbitrio etiam in præjudicium hæredum mariti disponere tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem poterit. Quod multo magis dicendum est de bonis per eam post dissolutum matrimonium acquisitis, vel ex quamcumque successionem ad eam devolutis; quia de his quoque in præjudicium filiarum, etiam si integro statu esset, testari posset; cum filia plus quam legitimam habitura esset ex bonis constante matrimonio possessis. Ex his facile poterit colligi decisio ac definitio casus propositi, nisi ex facto aliqua deprehendatur variatio; quæ si denuò proponatur, propius vel aliter responderi poterit: sed sufficiant hæc secundum proposita.

De Furtis.

SUMMARIVM.

Furti actio criminalis.

1. Furti pro ve parva an agendum.
2. Fructus terra coherentes eius sunt cuius fundus est.
3. Actio de glande legenda cui datur.
4. Ramos ex vicino pradio impendentes recidere licet.
5. Furtum rei sua nemo facit.
6. Furtum excusat animum.
7. Furtum alicui fieri debet.
8. Furtio an pax & securitas frangatur.

CONSILIVM DLXXXV.

A CONCVSSIONE admodum alienum non est, *l. 2. de concussioib.* quod Promotor Universitatis, adversus miserum & seniculum Sacerdotem Dominum Egidium Halbach in hac causa molitus est; intentatâ famosâ actione furti, & infra actus pacis seu securitatis criminaliter, ob præcisos & ablatos tres pepones: idque temere & ad delationem (uti non dubitatur) illorum, quibus furtum hoc factum esse dicitur, & cum quibus lites varias habuit, & adhuc habet. * Digna sanè est hæc temeritas, quæ lege Rhemniâ coëccetur, *l. 1. §. 1. Ad 5. C. Turpi.* non tantum quod à ratione & æquitate alienum videatur tantillæ rei nomine, furti criminaliter agi posse, *Zafius in l. stipulationum §. fin. nu. 8. De verb. oblig.* sed ex eo quoque, quod furtum probatum non sit. Nam etsi per testes Actoris (quorum etiam conditio in hac gravi causa omni exceptione major non est, uti deduci posset, si causa id postulare) probatum videatur, Reum per impluvium seu ex tecto vicini decerpisse pepones; ex adverso tamen probatum est huiusmodi pepones ad Reum pertinuisse, ob id, quod in horto illius plantati radices egerint, & per fulera vinearum secundum rigorem stillicidii fundi vicini, usque & super tectum vicini serpentibus radicibus nati sint; ut constet tam ex relatione notarii de oculari loci inspectione, quam testium depositionibus.

* illius enim sunt fructus, rami, & caudices, in cuius fundo radices sunt, *§. Si Titius §. quæ ratione Insit. De re divis. l. Adeo §. his conveniens de acquir. rer. dom.* etiam si alius severit vel plantaverit: quia non